AD CARDINALITIAM QVÆSTIO MEDICA, MATVTINIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM PARISIENSIVM. DIE IOVIS, VIGESIMA PRIMA MAII. GVILLELMO LVSSON, DOCTORE MEDICO REGIO, MODERATORE.

An Mola ſui ablationem indicet?

NATVRA æternitatis auida,ſpecierum perennitatem,ſingulorum ſucceſſiua ſobole quantùm poteſt molitur. Sed vt ipſa non eſt de his quæ ſemper, ſed quæ vtplurimùm ita contingunt: ſic tam fructuoſos eius conatus multa ſunt quæ interturbant ἐκρύσεις inprimis ante τύπωσιν,inde ἐκτρωσμοὺς ab ineunte nutricatu poſt τύπωσιν: μυλὴ denique ipſa,quæ non vt eiectitij iſti,aut abortiui conceptus,à laboribus,ſed ab inutilibus in corpore cumulatis,venit.

MOLA igitur, malum mulieri inter fœminas peculiare,nec tamen omni,ſed ei tantùm quæ viri conſuetudine gaudeat,à mola piſtrinaria nomen habet. Cui non vſu,vt ἐλῶντες μύλαι, ſed figura & conſiſtentia vt ὀπυρὶς,imò & motus tarditate reſpondet. Rem verò ſortitur à conceptu inutili & carnea in vtero molæ informi,quam ſeminis parit imbecillitas atque μόλωσις, natura conante vitam animalem ipſi conferre,ſed non valente,ſolamque ipſi vegetatiuam,& eam imperfectam,tribuente,vna cum venulis,per eius indigeſtam maſſam confluis,quibus contentum alimentum in proprium incrementum pelliciat.

HVIVS cauſa generalis eſt ἀποτυχία τῆς δυνάμεως διαπλαστικῆς. At iſti multæ ſubiacent quæ ancillantur,ſed noxia inprimis ſeminis virilis,& menſtrui corpora, quæ formatricis vigorem igneum tardant,hebetantque. Equidem,vt mundana omnia,ſic & fœtus rerum mundanarum futurus dominus,ex aqua & igne gignitur: Ex aqua quidem,ſeu ſeminis vtriuſque parentum materia & corpore,omnia per omnia nutriente. Ex igne autem ſeu formatrice facultate, quæ calore viuifico, & ſpiritu prolifico perfuſa, materiæ ſeminalis molem cui inſidet,regit, totam per totam promouet,& certa membrorum configuratione diſtinguit. Itaque ſi tum quumprimùm operi inſtare incipit,vberior menſtrualis materiæ nimbus ex toto corpore,in id ſemen,præſertim morboſum & imbecillum ingruerit,non proluitur modò,ſed & obruitur,ſic vt ex illo cœno vix emergens, ſpem parentum vanis ariſtis deludat, & pro fœtu molam edat.

SPVRIVS hic multa ſigna cum legitimo fœtu habet communia,quibus ipſum falsâ mentitur imagine. Nam & ex eo menſes ſupprimuntur,vberaque adeo extuberant, nauſea & vomitus,indeque totius macies,& faciei in vepallidum colorem mutatio,alui meteoriſmus cum motu incerto & pigro. Sed iſta adulterina à puris, putiſque peritus medicus mox facilè diſcernet. Mammæ etenim etſi tumidiores exurgant, nunquam tamen lacte diffluunt. Aluus ſublimi tumore diſtenditur ſed citiùs quàm vero par ſit fœtui. Præcocum more qui nunquam ad frugem perueniunt. Nec verò tumor ille ſubmollis eſt,vt in germano fœtu, ſed ſaxeus,quòd ſubiecta mola ſeu calore, ſeu frigore concreuerit, ferri aciem reſpuat. motus verò ille, ne quidem quarto menſe ex incerto certus euadit, non perennis,non geſticulatorius,non denique matri gratus. Certiſſimum verò illud eſt,quòd nono,vel decimo menſe,qui poſtremus eſt pariendi terminus fœta nec parturiat nec pariat.

MOLA contra naturam eſt, quia matri fœcunditatem: & hoſpitæ vitam adimit. Sed tamen eius ablatio,ſi vna caro fuerit,optanda erit potius quàm tentanda: at ſi plures, dum ſingulas oppugnabis,omnes expugnabis. Omnino autem cuiuſcunque molis fuerit mola,mollioribus remediis ipſam aggredi fuerit melius. naturæ namque,morborum medicatrices,etiam hîc,vim ingentem oderunt, moderatâ altius proferunt. Itaque blanda purgatione,per vices inculcata,vehementioris vices ſuppleto,dyſenteriam non procurato,ſed ſi ſponte venerit non refugito. Sanguinem molæ nempe alimentum apertis brachiorum malleolorum,& hæmorrhoidalibus venis ſubducito, cruentis cucurbitulis, ad poſticas laterum mollitudines & interna femora appreſſis hoc idem facito. Collutionibus in vuluam factis,eius retinacula reſoluito: corporis exercitatione ipſam concutito. Eandem Dyſodeis nare & ore hauſtis deprimito: depreſſam ſubditis Euodeis prolicito. Aquis naturalibus & medicatis eius ligamenta madefacito. Sed ante,viam tibi ad hæc omnia,fotu & balneo,humectantibuſque,& lubricantibus cibis tibi apparato.

Ergo Mola ſui ablationem indicat.



Aſſerebat Lutetiæ SYMPHORIANVS HAVTIN Pariſinus, Anno Salutis milleſimo ſexcenteſimo nono.